

sensu certificarī voluit, visu, & tactu. Illi. n. sunt sensus, qui minus possunt de epi. Visus enim inter alios plures differētiās demonstrat, vt habetur 1. Met. Tactus verò in homine est certissimus, vt habet, 3. de anima. Hęc tamen Thomę absentia facta est diuina ordinatio ne, vel permissio, vt ex sua absentia sequeretur dubitatio, & in dubitatione obkinationis, & per consequens diligēs inquisitio, ad nostram confirmacione. De quo B. Greg. in ho. ait. Nunquid casu gestu creditis, vt electus ille discipulus tūc deesset, post vniuersi audiret, audiēs dubitaret, dubitās palpāret, & palpās crederet? Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est. Egred. nāq; miro modo in superna clementia, vt discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palpāret carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis. Plus enim nobis infidelitas Thomę ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit, quia dū ille ad fidē palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Sic quippe discipulū post resurrectionem suam dubitare permittit nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante natiuitatē tuam habere Mariā sponsum voluit, qui tñ ad eius nuptias non peruenit. Nā ita factus est discipulus dubitās, & palpās testis verē resurrectionis, sicut sponsum matris fuerat custos itegerime virginis. Hęc Gre.

Altera apparitio facta est post octo dies presente Thoma. Circa quam apud aliquos dubitatur, an Thomas tetigerit vulnera Christi. Sunt enim (vt recitat beatus August. super Ioan.) quibus videtur non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum, neque scriptum est, quod tetigerit Thomas. Ait enim dominus, quia vidisti me, credidisti, non dicit, quia tetigisti me. Sed oppositū magis videtur de intentione Aug. Ait enim, videbat Thomas, tangebatur; hominē, & confitebatur Deū, quē non videbat, neq; tangebatur. Sed per hoc, quod videbat, atque tangebatur, illud iā remota dubitatione credebatur. Quia verò dñs dicit,

quia vidisti me, non quia tetigisti, ideo factū est, quoniā generalis quide sensus est visus. Nam & per alios quatuor sensus nominari solet, velut cum dicimus, audi, & vide, quā bene sonet. Olfac, & vide, quā bene oleat. Gustā, & vide, quā bene sapiat. Tange, & vide, quā bene caleat, vbique sonat vidē, vide & hic ipse dominus, Infer digittum tuum, & vide manus meas, quid aliud ait, quā tange, & vide? Hęc Aug. Cui et concordat Nico. de Ly. allegās illud Exo. 20. Cunctus populus videbat voces i. audiebat Beatus quoq; Leo ad idē ait. Sufficit sibi ad fidem propriam vidisse, quod viderat, sed nobis operatus vt tangeret, quem videret. Eiusdem sententię est beatus Grego. vt patet ex supra allegatis, quibus etiam addit. Palpauit, & exclamauit, dñs meus, & Deus meus. Sanctus quoq; Tho. parte 3. q. 5. 4. art. 4. in sol. 2. rationes dicit. Thomas non solum vidit, sed etiam vulnera tetigit. Hęc sententia itaq; quę dicit Thomā nō solum vidisse, sed et tetigisse magis angelico, atque sanctorum patrū expositionibus concordat. In qua etiam relictū clari⁹ misericordia, & amor Christi, qui ne discipulus periret, seipsum non solum videntū, sed & palpandū præbuit, quod & nostrę fidei plurimum profecit. Nisi .n. palpāset, & similiter ceteri discipuli nisi contrectassent manibus mēbra saluatoris, quō fuisent satis certificari do minum verē habuisse carnem, & ossa, & ita corpus verum, sicut & ipse ait. Palpate, & videte, quoniā spiritus carnem, & ossa nō hēt? Luc. vl. Et tātū de primo.

Quantum ad secundum articulum hanc elicimus doctrinā, ad proficiendū in vita spiritali perutile post eas, quę de vitandis peccatorum occasionebus, atq; vaniloquiis sunt expressę. Ad firmandum gressus nostros in viam pacis, & salutis, super omnia confert vulneras domini manus, pedes, lacusq; aptum, interioribus iugiter oculis tanquam speculum, & exemplar perfectissimum contemplari. Horratur ad hoc scriptura vtriusque testamenti, admodum verbum, & factum Christi. Deut.

Ad profectū spi ritualem proficit contemplatio passionis Christi.

An Thomas tetigerit vulnera Xpi